

Σωὶ οὐρανῷ απάντων

COLLEGII

ANTHROPOLOGICI

DISPUTATIO OCTAVA,

ET ULTIMA.

De

# ANIMA,

Ejusdemque Facultatibus, ac po-

tentiis totius Psychologiæ Synopsin  
continens,

Quam

SUB PRÆSIDIO

M. GODOFREDI CUNDISI

Radebergâ - Misniçi

*Ad diem 6. April. in celeberrimâ Academiâ Lipsiensi  
propugnare conabitur*

MICHAEL NAGEL Pirnensis

Phil. Stud. & Alumnus Elec<sup>t</sup>.

LIPSIÆ

Eximiebat JOHANNES-ALBERTUS MINZELIUS,

ANNO

---

M. D. C. XXVII.

Philos.

B.

2/3, 20

Var. Act. Soc. XXVI. 6.)

33



*Amplissimis, Pietate, Prudentia, & Doctrina  
præstantissimis Viris,*

Dnn. Cofs. & cæteris Rei-  
pub. Pirnensis Senatoribus gra-  
vissimis,


*Dominis Mecænatibus, Patronis, & Promotoribus  
suis omni observantiae cultu etatem prosequendū,*

Has studiorum philosophicorum primitias  
tanquam *Diligentiae documentum,*  
*Observantiae monumentum,*  
&  
*Favoris incitamentum,*


Submissè sacrat, offertq;

Michaël Nagelius  
• Respondens.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden.



# Thesis I.



Lteram anthropologiæ partem con-  
stitut Psychologia, quæ propter subjecti nobilitatem  
amoenissima, propter controversiarum varietatem  
subtilissima, propter maximarum rerum ubertatem  
fertilissima, propter multiplicem deniq; ac eviden-  
tem utilitatem summe necessaria rectissime censetur.

Quanto enim præstant spiritualia corporalibus, im-  
mortalia caducis, divina humana, tanto excelsior est hæc doctrina, tan-  
toq; longius reliquis Philosophiæ naturalis capitibus anteferenda.

## I I.

Equidem nulli diffitemur etiam hic dari antrum Heracliti, pu-  
teum Democriti, umbram in Sole, & vas vitreum, quod cum vulpe fa-  
ri circumlambimus, pulte intus latente minus degustata. Sed valeat jam  
tritum illud: δύσκολα τὰ καλὰ. Oblectemur imagine interim, dum res  
desideratur: placeat dimidium, ubi totum haberi nequit.

## III.

Sic juveni amoribus mancipato unicum digitulum, vel aliam quan-  
dam particulam suæ amasiæ videre, & attingere jucundius existit, quam  
universa cæterorum hominum membra integræ perspicere, atque contre-  
ctare, quo simili utitur Philosophus lib. 1. de part. animal. cap. 5.  
tomo 1. p. II. II.

## IV.

Et utinam liceret nobis pro argumenti amplitudine ad amicæ hu-  
lii (animæ dilectissimæ) fores paulò diutius excubare: esset sanè quod  
nos juvaret, quod, inquam, recrearet. Verùm in angustum redacti li-  
mo quasi oculo, ac per transennam istas nostras delicias intueri cogimur.

## V.

Unicâ proinde disputatione tūm generalem, tūm specialem Psycho-  
jogiam exhibebimus incipiendo à generalibus, nempe definitione, & di-

visione anima, quibus problemata quedam communiora inspergimus, de-  
nec ad speciale facultatum considerationem & tentus descendamus.

V I.

Anima  
quid?

Ergo anima actus primus corporis physici, organici  
potentia vitam habentis. lib. 2. de an. cap. 1. textu 6. p. 1387.

V II.

Locus generis ponitur actus, uero primus: duo namque sunt actus, qui-  
dam ut scientia, quidam ut contemplatio lib. 2. de anima cap. 2. textu 2.  
& 6. mihi p. 1386. & 1387. ille denotat ipsum esse rei, hic operationes res.  
Est in contemplatione περιστη, ait divinus preceptor; quam audientes vocem,  
non est, ut exemplo Hermolai Barbari a demone ejus enodationem pe-  
tamus, aut inficetos ludim agistros consulamus, quippe in foro sapientiae,  
quid hoc vocabulum innuat, sati liquet, nimurum idem sonat, arguunt finis  
perfectio, forma, quae inest, ut arguit particula τοις, que cum sit οὐκ  
conatur, ac regit materiam, seu corpus, quod utrumque significat τὸ οὐκ,  
probante Scaligero Exerc. 37. sect. 39. p. 449. & 450. Quare mitti-  
mus expositionem eorum, qui per contemplationem motionem continuam  
intelligunt. Aliud enim est contemplatione, aliud contemplatione.

VIII.

Differentiam includunt verba sequentia: corporis physici, or-  
ganici potentia vitam habentis. Nam anima non quivis actus pri-  
mus, sed uero demum statuit, qui tali corpori τῷ τι λιπαρίω largitur:

I X.

Singula ponderare operae pretium erit. Initio evolvenda venit  
vocabuli corporis ambiguitas. Itaque corpus trifariam sumi solet. I. pro-  
ut dicit omne illud, quod substernitur trinæ dimensioni, sine præcisione  
formæ, & hoc modo corpus animalium esse genus animalium Porphyrius  
dixit in Isagoge cap. 2. p. 4. II. accipitur pro natura, & re qua subster-  
nitur trinæ dimensioni cum præcisione ulterioris formæ, & sic est materia,  
vel pars compositi, & non prædicatur de aliis speciebus generis substantiae,  
quamvis sit in genere, ut pars. III. sumitur pro trinæ dimensione, & est  
tertia species quantitatis continuae intrinsecè mensurantū. Armandus  
de bello visa Tractatu 2. terminorum p. 106. Primus solum signifi-  
catus hinc spectat.

X. D.

## X.

Deinde in definitione dicitur animam esse actum corporū physici, ut sequestrentur mathematica, artificialia, & alia corpora. Lege Scheiblerum part. 1. de an. disp. 1. th. 23. Est ġ corpus physicum, seu naturale, quod habet in se principium motus, & quietū, quā tale, ut colligitur ē Pererig lib. 11. de loco cap. 3. p. 613. id ġ ab Aristotele vocatur organicum, hoc est, obtinens distinctas partes instrumentales, ad varias actiones edendas, v.g. Quodvis animal habet oculos, aures, pedes, manus, hepatis, cor, habent item plantae sua organa, et si rudiora, puta radicem, orū vice fungentem, pericarpium, seu involucrum fructus uterum, ejusq; membranas referens, fibras venis respondentes, &c. Quā de re pluribus differunt Theophrastus lib. 1. de hist. plant. cap. 4. 7. & 14. Plinius lib. 17. cap. 34. Scaliger Exerc. 140. sect. 2. p. 452, & 453. & Magirus lib. 5. phys. cap. 6. p. 452. Ad corpus autem organicum duo requiruntur, nempe 1. effigies, 2. ipsae potentiae vitales inhærentes; unde apparet corpora ab Angelū assunta non esse organicā. Videantur Dd. Conimbricenses comment. in lib. 2. cap. 1. de animā quest. 1. art. 7. solut. 5. & 6. Thomas parte 1. quest. 51. art. 3. Aegidius in l. 2. dist. 8. & Biel ēt idem in 2. dist. 8. qu. 1. art. 3.

## XI.

Supersunt verba: potentia vitam habentis. Quae licet idem velint, quod τὸ organicum, sicut probatur ex ipso Philosopho lib. 2. de an. c. 1. t. 7. ubi naturae genius animam sic definit: Τένη περί την ἀντελέχεια σώματος φυσικῆς οὐγάνης, seu est actus primus corporis naturalis instrumentalis: tamen quid uotet potentia vitam habere ēk οὐγάνης explicabimus.

## XII.

Tenendum in primis, duplicitate sumi potentiam, secundum Aristotelem lib. 1. de Interp. c. 15. tom. 1. p. 65. & 66. 1. Impropriè, pro illis potentia, quae est conjuncta cum actu, ut quando dicimus, cælum posse moveri, cum actu moveatur, Deum posse moveare quando movet, (quam actionem impropriam esse patet ex effectu, non enim dicimus effectum esse potestate, nisi quando non est actu, Zabarella lib. 1. de prima rerum materia c. 9. p. 139. & lib. 1. de motu gravium, & levium c. 11. p. 290.) 2. Propriè propria, quae respicit, & præcedit actu, e.g. cum affirmamus aliquem

aliquem ambulare posse, innuimus; quod eum ambulare futurum sit, item pro habilitate, & aptitudine in puerō, qui Grammaticus evadere potest, si nimis informetur, discat praecepta, sed exerceat diligentissime, vel pro habitu acquisito, cum aliquis jam didicit Grammaticam, & est, Grammaticus, sed propter occupationes alias non semper agit Grammaticē. Atq; ex hoc fonte distinctio inter actum primum, & secundum promanavit. Confer Pererium lib. 15. phys. in solutione 5. arg. Procli, nec non Scheiblerum diss. 1. de an. th. 15. & 16. Primam significationem potentiae huc quadrare scribit Themistius l. 2. de an. c. 6. tex. 7. & c. 1. 8. 20. cuius sententia & nos accedimus.

### XIII.

Nemo interim pater animatum non esse aliquid corpus, quando actu non operatur, quemadmodum quidam sat ineptè docent. Vocabulum enim potentiae monet animam esse actum corporis animati simpliciter, ut potentia operari, non ut operantis duntaxat. Ac licet actum nutritiendi nunquam intermittat anima, siquidem omne vivens, dum vivit, nutritur: alias tamen actiones quandoq; interrupit, & ab hoc ipso operoferiari apta nata est. Lege Conimbricenses paginā ante citatā,

### XIV.

*Alia descri-*  
*ptio anima.* Fuit definitio hæc στιώδης, describitur quoq; eadem anima αἰτιολογικῶς, & tum dicitur id, quo vivimus, sentimus, & movemur, &c intelligimus. Aristoteles l. 2. de an. c. 2. tex. 24. T. I. p. 1390. ubi observeretur bifariam accipi posse animæ hic tributa, sicut & istud, si dicas, quidquam esse id, quo sumus: aliter namq; qui sanus nominatur aliquà pars corporis sui, tanquam quæ sit subiectum sanitatis, aliter sanitatem ipsâ utpote formâ, quæ subjecto inest. Similiter & vivere, ac sentire quid potest re quapiam, vel ita, ut subiectum sit vita, vel ut sit ipsa ejus forma, & actus. Priore sensu vocem in praesentiâ acceptam volumus: neq; enim dicimus animam esse in quâ hæreat, sed à quâ proficiscatur vita. Claret etiam hinc, quod anima non materia quædam, aut corpus sit, verum aliquid corporis, h.e. ejus forma.

### XV.

Operationes hæc non omnis exercet anima, nihilominus omnes ab anima proveniunt: & cubicung; inveniuntur istæ à tali principio procedere credantur hanc securus, atq; omni motu, & quies naturali est, non autem contra

contra omnis natura principium motus, & quietū. Vide Pereriuml. 7.  
phys. c.p. 421.

### XVI.

Nunc definitione positā quæstiones duas controversas aggredimur, quas breviter excutiemus, ac decidemus. Prima attinet originem animæ, secunda ejusdem sedem. Utraq, ἀνώ, καὶ κάτω ventilatur, imo utraq, quæ plurimi passim difficultatibus involvitur. nostrā ē re erit oriosarum curiositatū spinas resecare, ac quousq, in hac intellectus caligine, & iudicij hebetudine valeamus progredi, strictim aperire.

### XVII.

Prodeat ergo quæsum primum, ubi de origine animæ disceptatur, utrum illa per creationem immediate infundatur, an vero per traditum propagetur. Nam hæc duæ opinione hodiè sunt frequentissimæ. Immediate creari animas à Dœ statuunt Dd. Conimbricenses in lib. 2. de an. cap. 1. quæst. 3. art. 2. pag. 82. 83. & seq. Bellarminus tom. 4. controv. Theol. lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 11. Suarez tom. 2. Metaph. disput. 15. sect. 2. p. 321. Trelcatius in locu Theol. p. 277. Pareus comment. in Gen. c. 2. p. 307. & 308. Bucanus in Inst. p. 519. 92. 94 & 96. Timplerus lib. 3. Empsyb. c. 1. probl. 30. p. 291. Qui omnes vel unius Scaligeri argumentis refutantur. Etenim ita modernorum philosophorum Hercules Exerc. 6. sect. 5. p. 28, & 29. errorem bñc sententiam evertit, 1. ait: Si extrinsecè advenit forma omnī, nulla est generatio. Est enim generatio generantis, & generati: hæc duo sunt in numero, in specie unum, ut est in 7 Sapientia. Aut igitur erit equivoca omnis generatio, aut etiam nulla. Neg, enim formam dederit Adamantius catellus, sed materiam tantum Therionillo. Tum erit Therionillus Solis filius, aut Veneris, aut aliū, sicut & mus, & alia, quorum generatio è simo, aut limo & equivoca est, neq, similis erit Adamantio Therionillus. Ab illo namq, materia sine formâ producta est. 2. Si extrinsecus venit forma (animæ) atq, interea omni perfectionum genere instruitur materia: ab aliquo intru & qualitates, & quantitates, & numeros, & ordines, & sic apparari, atq, institui necesse est, deniq, corpus ipsum totum fabricari. Hæc fabrica fit aut à substancia, aut ab accidente, aut ab utroq. Non ab accidente solo, quia nullum accidens agit, nisi per vim suæ substanciæ. Edificabitur per vim substanciæ, & hæc forma seminis.

minis, sancē forma seminū, si non est anima, brutes est. Et rāmenū  
fabricat, est aquales anima rationali. Hactenus Scaliger.

XVIII.

Cautius proinde mercantur, qui in alteram sententiam concedunt,  
& pedibus velut eunt, siquidem hoc modo innumeræ, ac prorsus Labyrin-  
thæ perplexitates facile evitantur, ac removentur, puta Deum esse au-  
torem peccati (quod blasphemum spirituū heretici emblemā est,), item ge-  
nerationem humanam generatione brutorum inferiorem esse, imo nec ge-  
nerationis nomine venire.

XIX.

Itaq; quemadmodum lumen à lumine accenditur in materiā aptā,  
& aptè applicatā: sic anima nostra à parentum animā per benedictionem  
divinam in semine rite disposita, & prolifico exfuscatatur. Neq; officie  
nostræ assertioni 1. à duobus parentibus (patre, matre) vel duas totas, vel  
dimidiatas animas provenire oportere: quippe parentes, seu potius animæ  
parentum hic non debent considerari divisim, sed conjunctim, quatenus  
uniuntur, & quatenus adglutinantur sibi invicem in mirando illo genera-  
tionis opere, quō pacto etiam duæ faces coēentes tertiam accendere pos-  
sunt. 2. Illud Aristotelis lib. 2. de gen. animal. cap. 3. tom. 1. p. 1050.  
restat ut mens sola forinsecus accedat, eaq; sola divina sit: in-  
nuitur enim ibi mentem à diviniore principio esse, nibilq; ejus actionem  
cum actione corporis communicare, nec elui ipsam è potentia materia.  
Confer D. Selneccerum comm. super cap. 2. Gen. p. 143. D. Hütte-  
rum in locis Theol. p. 329. D. Franzium disp. 2. in August. Conf. th. 22.  
D. Meisnerum part. I. phil. sobr. sect. 3. cap. 6. quæst. 1. à pag. 902. usq;  
ad p. 928. & Anthropol: sacrae decad. 1. disp. 5. qu. 3. p. 189. Magirum  
lib. 6. phys. cap. 27. p. 805. & Bartholinum lib. 8. Ench. phys. cap. 24.  
p. 84.

X X.

In secundâ quæstione itidem non convenient invicem autores,  
*De sede ani- lii* quippe cor, alii cerebrum (ut Medici) animæ sedem faciunt: alii  
ma. animam totam in toto corpore esse autumant, alii contrâ sentiunt. Omnes  
benè differunt: at sententiae singulæ simpliciter arripi non debent. An-  
tequam autem, quid nobū hac in parte arrideat, expenamus, quædam  
δρόκος ασικῶς prælibanda ducimus.

XXI.

Quadrifariam spectari, & cogitari potest anima. I. essentiali-  
ter

ter, & quidditativè, quatenus designat illa efficiam suam, ac partici-  
pasi λόγον τῆς ἀστικής definitionem; 2. quantitativè, & extensi-  
vè, prout sequitur materiae conditionem. 3. originativè, & radicali-  
ter, cum quoad vita, motus, exordium potius hic quam alibi esse dicitur.  
4. Manifestativè, & apparenter, in quantum se anima in aliquā parte  
juxta nobiliores actiones revelat.

### XXII.

Accommodemus hæc ad institutum pro conciliatione autorum, qui  
videntur dissentire ab invicem. Priore modo (essentialiter & quidditati-  
vè) anima in toto corpore tota, & in qualibet parte tota est: absur-  
dum enim uni parti vindicare animam, siquidem ita pars animalis fieret  
anim: l. pars hominū homo, neq; reliquæ partes informarentur. Quem  
respectum tu quoq; refer ad animæ vires, quæ etiam universæ in toto sunt,  
& in singulu partibus, licet organorum defectu omnes actiones suas ubiq;  
non exerant. Lege Scaligerum Exerc. 307. sect. 29. p. 941. 942. & 943.  
& sect. 37. p. 948. Altero modo (nimis quantitativè, & extensivè)  
anima secundum potentias materiales est in manibus, in pedibus, in ven-  
triculo, in hepate, ita ut pars animæ extensa quasi ad hoc membrum non  
sit in alio. Deinde originaliter, & radicaliter animam in corde esse ar-  
bitrantur Philosophi, quoniam cor est primum vivens, primum mobile,  
focus igni nativi, arx corporis, item sentiendi, movendi, & nutriendi (ad-  
did' rim ego intelligendi) principium Aristoteles l. 2. de part. animal.  
c. 1. Tom. 1. p. 1116, & l. 3. c. 6. p. 1160. Atq; istud solum inter viscera, & par-  
tes corporis nullum uitium patitur grave; cum enim principium corrum-  
piatur, nihil est quod ceteris, quæ independent, præbere auxilium possit,  
at idem ait l. 3. de part. animal. c. 4. p. 154. Ultimo deniq; modo, videlicet  
τὸ Φαῦνος, h.e. secundum manifestationem, & apparentiam anima  
est in cerebro, id quod edocent instrumenta in eodem reposita, qualia sunt  
spiritus animalis, qui gignitur ibidem, & nervi exinde procedentes, nec  
non actiones nobilissimæ, quæ per cerebri compitæ exercentur, ut sensatio-  
nes, intellectiones, siquidem phantasmatum ope, ac ministerio in hac vita  
intelligimus, & rerum species percipimus, quamvis haut ignoremus quid  
hic Philosopho placeat. Πῶτον γέ μόρον ἡ τῶς ὁ νῦς σωέξει  
χαλεπὸν καὶ τλαῖσαι, inquit ille lib. 1. de anima. c. 5. p. 1386. cum  
alias actiones intellectus sint inorganicas. Simplicius in 3. de an. c. 48.  
& in l. 2. T. II. Ubi obiit notabis, quomodo è vexatissimâ illâ contro-

B

versio

versia te expedire debet, quando disputatur, num cor, an cerebrum inter membra corporis nostri principatum teneat. Recte mystagoga veritatem utrig<sub>3</sub> membro dominatum hunc tribuit l.3. de part. animal. c. 11. T. 1. p. 1166. Aliter cordi, aliter cerebro. Cordi propter animae radicationem: nam in corde, quod primum generatur, residet anima tanquam in radice, à qua postea ejus substantia ad totum corpus diffunditur. Zabarella lib. de partit. animae cap. 5. p. 665. in fol. Cerebro propter animae per actiones animales, quæ sane mirabiles sunt, revelationem.

### XXII.

Scotus 4. d.  
11. q. 3.  
Jandunus  
lib. 2. Meta  
ph. q. 10.

Hu determinatis ad divisionem pergimus. Dividitur ergo anima in vegetantem, sentientem, & rationalem, quas alij facultates, alij gradus animae appellant, nos distinctas esse animas cum Scoto, & Janduno palam asserimus. Neg, ita Chimera, vel monstrum quoddam triceps, ut aliqui metuunt, introducitur. Non enim tres formas homini proprias innimis, quod longè monstruosissimum foret, sed unam propriam, & specificam, reliquas communes, ac subordinatas. Proinde sola specifica forma, nempe anima rationalis homini suum esse ultimum tribuit; reliquis ille gaudet alio pacto: vegetante quā corpus vivens, sentiente quā animal est.

### XXIV.

Anima ve-  
getans.

Singulas animas, earumq<sub>3</sub> potentias sigillatim nunc considerabimus, & velut in tabellâ rudi Minervâ depingemus tractationem auspicio ab anima vegetante, quæ definitur actus primus corporis vivi, ut tale est, per quem illud primò vivit.

### XXV.

Finis, vel officium huic animae nomen dedit: anima enim vegetans inde dicitur, quia corpus vegetat, seu vegetum facit. Sicut igitur à priori, & ratione essentiae illam modò definivimus, (prout videlicet est anima distincta) ita respectu operationum etiam à posteriori (nempe quatenus non est ipsa anima, sed animæ potentia) ex Aristotele vulgo sic definitur: anima vegetativa est actus primus corporis physici organici, quo istud vivit, nutrimento adsumto nutritur, augetur, & sibi simile gignit, lib. 2. de an. cap. 4. T. 1. p. 1392.

### XXVI.

Principales ergo animæ vegetantis effectus, quos in corpore vivo producit, sunt tres, facultas nutritiva, & generativa, item vita, tñi opponitur mors.

27. Febr.

## XXVII.

Facultas nutritiva est potentia, quâ vivens, in quantum vivens est, Facultas nu-  
se conservat. Aristot. l. 2. de an. T. 48. c. 4. p. 1395.

## XXVIII.

Eius exercitium vocatur nutritio, quæ est conversio nutrimenti, Nutritio,  
quod potestate est corpus animatum in id, quod actu animatum est. Vel,  
si mavis cum Zabarella definire, dic nutritionem esse aggregationem  
partium materiæ in corpore vivente ex alimento extrinseco  
ad moto factam ab animâ per calorem naturalem, ut materia,  
quæ effluxit, restaretur, & ipsum vivens servari possit ad illud  
usq; tempus, quod est ipsi à naturâ præscriptum. lib. de accretione  
& nutritione cap. 25. mihi pag. 752.

## XXIX.

Ad hoc naturæ opus perficiendum aliæ facultates concurrunt, nimi- Facultates se-  
rùm 1. facultas concoctrix, 2. attractrix. 3. retentrix, & 4. ex- curia.  
pultrix.

## XXX.

Attractrix est virtus ministra conveniens nutrimentum alliens, Attractrix,  
& per villos rectos intra membra recipiens: alimentum quippe ex se mo-  
tum non habet, ut suâ sponte ad partem alienam feratur. Quocircare-  
quiritur, ut eò deducatur aliunde pulsum, vel attractum.

## XXXI.

Retentrix est potentia famulans alimentum pro alteratione, sive Retentrix,  
concoctione in corporis usum conservans. Hanc enim sufficit attractio,  
nisi accedat retentio, quâ juvante nutrimentum partim elaboratur, par-  
tim adglutinatur.

## XXXII.

Concoctrix (alius alteratrix) est potentia ministerialis, quæ alimen- Concoctrix,  
tum receptum, & aliquandiu retentum per calorem nativum subigit,  
cujus actus dicitur concoctio, quam triplicem faciunt Physici dividentes  
illam in chylificationem, sanguificationem, & assimilationem. Chyli-  
fatio fit in ventriculo, quando ex ingestis alimentis chylus (succus cremo-  
riptisanae similius) ibi coquitur; sanguificatio in hepate instituitur, cum  
idem chylus in venis mesaraicu non nihil alteratus, & ad hepar delatus ab  
eodem in sanguinem convertitur; assimilatio fit per universum corpus,  
cum sanguis per venas universo corpori communicatus convertitur in sub-  
stantiam

*stantiam partium solidarum, itaq; apponitur. Sed hæc fuisse alio loco  
explicavimus.*

XXXIII.

**Expultrix.**

*Expultrix est facultas ministra, quæ aliena, & supervacula, qualibet  
alimento multa permixta sunt, respuit, ac per villos transversos expellit.*

XXXIV.

**Fames.**

*Nutrimenū urgentis fames, & sitis. Fames est appetitus sub-  
stantiæ calidæ, & siccæ, apta nutrire oriens ex suctione sensu perceptâ in  
ore ventriculi pro restaurazione partium animalis. Sitis est appetitus  
substaniæ humide, & frigidæ ex desiccatione, & tristis sensu suctionis in  
ore ventriculi prodiens pro contemperandis consumilibus animalis partibus.  
Vide Piccolomineum lib. de arte eleganter discurrendi pag. 180, & 181, & 182.*

XXXV.

**Facultas  
augmenta-  
tiva.**

*Succedit facultas augmentativa, quæ est vis animæ vegetantis, qua  
corpus animatum ex assimilato alimento nutritum in omnes dimensiones  
extenditur, ut justam magnitudinem pro edendis actionibus propriis, atq;  
convenientibus adipiscatur.*

XXXVI

**Argumenta-  
tio.**

*Differunt augmentativa 1. à facultate nutrice (nutrix enim facul-  
tas tendit ad substantiam, augmentativa ad quantitatem, immo illa per ita-  
tam vitam continuatur, hac certo tempore definit, nempe cum certa men-  
suræ expletio facta est:) 2. ab auctiōne, augmentatione, sive accretio-  
ne (siquidem res una hu vocabulo notatur) tanquam ab acto secundo, &  
operatione. Est autem accretio, seu augmentatio actionis nutrimenti  
perfectio. Scaliger Exerc. 101. sect. 15. p. 347.*

**Diminutio.**

*Ei opponitur diminu-  
tio, quæ est transmutatio corporis à mensurâ majore ad minorem. Aver-  
roës in epit. Log.*

XXXVII.

**Facultas ge-  
nerativa.**

*Augmentativam excipit generativa, quæ est potentia animæ ve-  
getantis, quæ corpus vivens producit simile, ut vitam, quam in indivi-  
duo perpetuò non potest, conserver in specie. Aristoteles hanc ita de-  
scribit: est generativa ejus, quod tale est, quale ipsum generans, lib. 2. de  
an. c. 4. l. 49. p. 1395.*

XXXVIII.

**Generatio.**

*Hujus exercitium appellatur generatio, estq; illa actio potentiae  
generandi.*

generatrici, quā corpus animatum perfectum ejusdem cum generante spe-  
cio producitur.

### XXXIX.

Generantis requisita praecipue tria sunt: debet enim esse 1. vivens perfectum (unde pueri ob imperfectionem, & immaturitatem non generant. 2. integrum (siquidem eunuchi, & mutilati generare nequeunt,) 3. naturali modo, non sponte, aut ex putrefactione enatum, Aristot. loco antē citato (nam animalcula talia ad generationem univocam ferè in-  
epta videntur.) 4. in vegetâ ætate constitutum: senes enim, cum semen non habeant, generare non possunt.

### X L.

Sequitur vita, cuius vox homonyma est, ac significat 1. essentiam a- Vita quo-  
nimitorum, quando nimis pro ipsâ animâ vegetativâ sumitur apud pliciter su-  
Aristotelem lib. 2. de an. c. 4. t. 37. p. 1393. 2. potentiam, seu faculta-  
tem vitaliter operandi. 3. operationes ab animâ profuentes, easq; par-  
tim communes (puta actiones animæ vegetantii, sensum, motum localem,  
intellectum) partim proprias, v.g. motum secundum alimentum, augmen-  
tum, & decrementum, lib. 2. de an. c. 2. t. 13. p. 1388. Nos in altero, sive  
penultimo significatu accepto vocabulo vitam sic definimus: Vita est o- Ejus definitio  
peratio animæ vegetatricis cum calore in corpore animato.

### X L I.

Vita contrariatur mors, quæ (prout accipitur non tam pro inte- Mors.  
ritu corporis viventis, in quantum id animatum, quam pro actu seu pri-  
vatione τὸ ζεργόν animæ vegetativæ in corpore) est omnium opera-  
tionum vitalium cessatio à solutione animæ, & corporis orta.

### X L II.

Hæc tenus animæ vegetativæ in dolem per vestigavimus: ad sensitivæ Anima sen-  
sistoriam convertimur, quam paucissimis nunc expediemus. Est autem sensitiva,  
anima sensitiva εὐτελέχδα animalis, quā apprehendit, & per-  
cipit ea, quæ extra ipsam posita sunt, sive objecta sensilia, appe-  
nit salutaria, & loco movetur.

### X L III.

Ex hac definitione apparet tres esse facultates animæ sensitivæ;  
nampe 1. cognoscitivam, 2. appetitivam, & 3. locomotivam.

### X L IV.

Cognoscitiva, vel, ut alias dicitur, sensus est id, quod vim habet re- Sensio-  
cipiendi

Sensatio.

cipiendi formas, seu species sensiles sine materia, ut cera annuli sine ferro, & auro recipit signum. Aristot. lib. 2. de an. cap. 12. T. 121. pag. 1408.  
Illiis operatio vocatur sensatio, quae est rei sensibilis perceptio.

XLV.

Non abs re sensui aliqua cognitio vindicatur, cum ipso sensu multa cognoscamus, ac eodem arbitrio inter album, & dulce discernamus, teste Philosopho lib. 3. de an. cap. 2. Textu 145. p. 1412. ei aliqualem rationem tribuere haut dubitante, ibidem T. 143. Confer etiam locum ex 2. de gen. & Corrupt. cap. 22. p. 1240. ubi expressè hæc extant verba: η δὲ αὐθησίς γνῶσίς τις. Quam cognoscendi potentiam si æstimativam nominare velū non repugnat, dummodo eam ab hac potentia sentiente non differre largiaris.

XLVI.

Sensus exter-  
ni.

Est ergo sensus vel externus, vel internus. Externus, qui in exterioribus corporis partibus residens circa res externas praesentes occupatur, est quintuplex, nimirum visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Unde promanarunt triti illi versiculi:

Gustus, & olfactus, auditus, visio, tactus,  
Sunt sensus quinq[ue], quorum peccata relinque.

XLVII.

Visus,

Visus est perceptivus ejus, quod est visibile Arist. l. 2. de an. cap. 7. p. 1328. Seu: est sensus exterior, qui mediante oculo in rem lucidam, & coloratam fertur, indeq[ue] objectum potentia adspectabile facit actu adspectabile. Actus ejus est visio.

XLVIII.

Auditus.

Auditus est sensus externus beneficio aurium sonos ad se delatos percipiens, cuius actus est auditio.

XLIX.

Olfactus.

Olfactus est sensus exterior, quo cognoscuntur odores in processus mamillares recepti. (Bi hoc anno in sectionibus monstrati fuerunt nervi olfactorii, videlicet mense Febr. in virili, & ruperrime in foeminino cadavere, qui haut dubie sunt verum, & proximum olfactus organum.) Aetum si exprimere cupis nomina olfactionem, vel odorationem.

L.

Gustus.

Gustus est sensus externus; quo saporem in linguae panniculo nervoso percipimus. Differt ab eo gustatio tanquam actio à potentia, id quod ex se claret.

Tactus

L I.

Tactus est itidem sensus externus, qui nervū per totum corpus ex- Tactus.  
pansis qualitates primas, & secundas apprehendit. Cum in actum dedu-  
citur hæc facultas emergit inde tactio, pro quā tamen frequentius tactum  
usurpamus.

L II.

Interni sensus sunt potentiae, quarum instrumenta immediata in- Sensus in-  
tus in cerebro provida natura reposuit ad restum praesentes, tūm absen- terni.  
tes perfectius apprehendendas, censendas, dijudicandas, & diutius con-  
servandas.

L III.

Tales tres à Physicis statuuntur, nempe 1. sensus communis, 2. Num. 3.  
phantasia, & 3. memoria,

L IV.

Sensus communis (alius sensus agens, & centrum extenorū Sensus com-  
sensuum) est sensus interior apprehendens imagines oblatas à sensibus ex- munis.  
terioribus, & discernens objecta singulorum sensuum.

L V.

Phantasia est motus à sensu secundum actum facto. Arist. lib. 3. Phantasia.  
de an. cap. 3. T. 161. p. 1416. Quæ Philosophi verba explicante Cæsal-  
pino lib. 5. quæst. Peripat. pag. 142. edit. in 4. ita intelligenda sunt, ut  
facto sensu contingat fieri motum in imaginatione, ut scilicet vel illud  
idem nobis imaginemur quod sensimus, vel aliquid eisimile.

L VI.

Officia phantasiæ tria dantur porissimum 1. enim phantasia spe- Ejus Officia:  
ties à sensu communi confuse oblatas diutius servat, 2. easdem accura-  
tius estimat, ponderat, ac discernit, 3. imagines à se discretas, ac depura-  
tas, quas propriè dicimus phantasmatia intellectui agenti ulterius illustran-  
dæ proponit.

L VII.

Interdum etiam novas intentiones, ac species ab  $\sigma\beta\gamma$  actuali concur-  
su sensus communis sibi efformat, & quidem tales, quales antea non acce-  
pit, sed interim prioribus à sensu commune exhibitū convenientes, ac si-  
miles, ut ex Poëtarum, & pictorum figuris liqueat.

L VIII.

Memoria est facultas prima animæ sentienti partis, quā rerum Ma nmo  
imagi-

*imagines cultâ phantasiâ percepit conservantur, absentesq; repetuntur.  
Alio bânc meditatio crebrò rem animo objiciens, & imprimens. Aristot.  
lib. de mem. & reminisc. cap. 1. p. 1493.*

*Reminiscen-  
tia.*

LIX.

*Differet memoria à reminiscencia, quæ ad animam rationalem  
pertinet, estq; motus, qui cum discursu fit alius post alium (scilicet notum.)  
Unde nata est distinctio inter memoriam sensitivam (nobis cum bru-  
tu communem,) & intellectivam, seu recordationem (hominis pre-  
priam) quam tamen Dn. Hornejus improbat disput. phys. 13. p. 434.*

L X.

*Sensibus internis, sive motibus illis huc usq; enarratū subjungimus,  
ut affectiones quasdam, Somnum, & vigiliam.*

L XI.

*Somnus.*

*Somnus est naturalis cessatio sensus communis, atq; exteriorum ex  
animâ cerebri humectatione, ac spirituum animalium in primis nervorum  
meatibus veluti blandâ consistentiâ, & retentione orta, quæ ad salutem  
animalis, & ad reparandum per quietem organa instituitur.*

L XII.

*Competit hic omnibus animalibus, exceptis infantibus in utero ma-  
terno delitescentibus, qui ànēcēwē loquendo non dormiunt, cum propter  
indispositionem instrumentorum, & copiosam humiditatem nunquam ex-  
pergiscantur, quæ tamen somni proprietas est Aristot. lib. 5. de gen. ani-  
mal. c. 1. T. 1. p. 1331. Et círcō, quoniam videntur dormire, pro somno  
iis torporem tribuunt Physici. Lege Keckermannum disp. 17. cursus  
philos. qu. 34. p. 481. & Scheiblerum psych. disp. 11. tb. 27.*

L XIII.

*Somnium.*

*Somnum comitatur somnium, quod est visa imago, quæ fit à sen-  
su motu in animali dormiente, quatenus dormit. Aristot. l. de Insom-  
niis c. 3. p. 1472.*

XLIV.

*Occurrit somnium cum cogitantibus nobis, & ante oculos rem po-  
nentibus somnus accedit. Quare ea maxime somniamus, quæ agimus, aut  
acturi sumus, aut volumus. Meliora vident somnia homines virtuosi, de-  
teriora viciosi, turbida ægredi. Idem in Probl. sect. 30. qu. 14. T. 2. p. 1020.*

LXV.

*Interpretarium somnis obseruet matutina, item fapius repetitas  
ut poterit*

urpore certiora. Illa, quia matutino tempore sedatus est sanguinis mo-  
rus, qui ex coctione alimenti fieri solet, unde imagines sickeriores exi-  
stunt, hæc, quia iteratione magis perseverantem in re motum arguunt,  
atq; sic firmorem fidem faciunt.

LXVI.

Vigilia deniq; est liber usus, & libera executio sensuum exterio- *Vigilia.*  
rum, & interiorum. Vel: est quadam solutio, & remissio sensuum, quo-  
rum vinculum erat somnus, Vide Aristot. l. de somno & vig. c. 1. T. 1.  
p. 1459.

LXVII.

Cognoscitivam animæ sentientiæ facultatem ita explanavimus; *Facultus*  
progredimur nunc ad appetitivam, quæ est vis animæ, quæ animal prae- *appetitiva.*  
quæ notitiâ inclinatur ad bonum sequendum, & malum fugiendum.

LXVIII.

Iste verò appetitus sensitivus (nam hec nomine pañam insignitur)  
dividi solet in concupiscibilem, & irascibilem. Concupiscibilis est,  
quod simpliciter appetimus, seu concupiscimus aliquid bonum delectabile,  
& jucundum, quod etiam nudè aliquid fugimus, ac rejicimus, ut acer-  
bum, ac minus gratum, Irascibilem vocant eum, qui versetur circa bo-  
num sensibile, quæ arduum, ac difficile, cumq; lucta conjunctum, non  
quæ simpliciter bonum est, quod vel assequi, vel amovere studemus.

LXIX.

Atq; hic se offert latissimus affectuum campus, quem tamen cur- *Affectus.*  
sim permeabimus, ut omnia. Sunt ergo affectus motus appetitus  
sensitivi ex apprehensione boni, vel mali cum aliquà corporis  
mutatione,

LXX.

Distribuntur hi in duas classes, referunturq; alii ad appetitum Distributio  
concupiscibilem, alii ad irascibilem. In concupiscibili ponuntur 6. numi- *affectuum.*  
rum amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia.

LXXI.

Amor finiente Dn. Philippo l. de an. est affectus, quod cor appé- *Amor.*  
tit aliquid bonum, quod attrahere gestit, ut eo patiatur.

LXXII.

Odium est appetitus removendi rem aliquam, Vel, est affectus Odium.  
cum ex objecti etiam absentis aversatione cor coarctatur, ejusdemq; ob-  
jecti

*jeclii constanter expellendi incitatione dilatatur.* Keckermannus  
disp. 16. cursus Phil. T. 2. op. p. 471.

LXXXII.

Desiderium.

Desiderium est intensus appetitus placitarei, ut docet Scaliger  
Exerc. 310. p. 956. Et amori hoc superaddit quantitatem majorem,  
quod & viis vocabuli innuit. Est enim desiderium quasi de sideribus, hoc  
est, ardenter petere, ut loquitur idem Scalig. Exerc. 317. sect. 3. p. 972.  
Taceo desiderium adhuc superaddere motum, & ab amore insuper obje-  
cto differre, cum amor sit boni praesentis, desiderium boni absentis, &  
adhuc impetrandi. Confer Armandum de bello visu Tract. 2. term.  
cap. 151. mihi p. 262.

LXXXIII.

Fuga.

Fuga est intensus affectus non habendi malum, quod imminere  
videbatur. Lege eundem loco laudato.

LXXXIV.

Gaudium.

Gaudium est affectus objecti boni praesentis ex suavi quadam alte-  
ratione spirituum animalium circa cor, & ex ejus (cordis) dilatatione,  
resultans.

LXXXV.

Tristitia.

Tristitia est motus cordis, quo se contrahit, ac constringit terra-  
ctu ad principia sua spiritibus, ut malum praesens evitetur. Scaliger Ex-  
erc. 312. p. 958.

LXXXVI.

In irascibili appetitu sunt sequentes 3. affectus: Spes, despera-  
tio, audacia, timor, & ira.

LXXXVII.

Spes.

Spes est affectus, quo cor quasi se preparat, & expandit ad bo-  
num absens acceptandum, ubi venerit illud. Differt spes à fiduciâ, quo-  
niam hanc tam praesentis, quam absentis esse recte tradunt Philosophi.

LXXXVIII.

Desperatio.

Desperatio est affectus appetitus irascibili tunc obrepens, quan-  
do apprehensum aliquod bonum futurum acquiri nullo modo posse ju-  
dicatur.

LXXXIX.

Audacia.

Audacia est id, que nullum omnino timet periculum, sed illud  
*sine*

fine ratione suscipimus cum quadam arrogantiā. Arist. l. 2. Eth. Nicom.  
c. 2. T. 2. p. 23.

### L XXXI.

Timor est affectus ortus ex motu cordis sese violenter constringens. Timor  
genitū, & aversans malum imminens, cuius affectus sunt pallor à retrac-  
tione sanguinis proveniens, & tremor à nervorum motivorum imbe-  
cillitate, quam causatur regressus spirituum, originem trahens, item  
horror, siquidem in metu introrsum resistentibus spiritibus exaspera-  
tur cutis, & eriguntur pili. Quinimò alvis funditur quandoq; in pa-  
vidis, & metu perculsis. Hoc inde est, quia Sphincter (musculus, qui ex-  
crementorum viam claudit) ab anima introrsum fugienti virtute, vel à  
calore insito desertus laxatur, & nescio quid emittit. Arist. probl. sect. 28.  
qu. 10. T. 2. p. 1002.

### LXXXII.

Ira est appetitus ultionis cum dolore propter apparentem immer- Ira.  
gō, vel in se vel in suos contemnum. Arist. l. 2. Rhet. c. 2. p. 651. differtq;  
ira ab odio 1. quod illa sit ex iū, quæ (quomodo cunq;) ad se ipsum, hoc etiā  
sine iū quæ ad se ipsum. 2. quod illa semper fit adversus singularia, hoc  
vero etiam adversus genera. 3. quod illa fit sanabilis tempore, ad hoc in-  
sanabile. 4. quod illa molestiā, hoc malo potius afficere cupias. Idem  
ibidem cap. 4. p. 658,

### LXXXIII.

Affectuum adjuncta, vel consequentia sunt voluptas, & dolor:  
est q; Voluptas passio, quam percipimus ex sensus actione expeditā, & Voluptas  
congruē se habente. Ex mente Dn. Philippi sic definitur: voluptas est  
perceptionis objecti convenientiū non laedens, nec lacerans nervos, sed ani-  
mum suaviter afficiens. Tr. 2. de animā cap. 12.

### LXXXIV.

Dolor contra est perceptio objecti diuconvenientis, & lesionem Dolor.  
pelliculae nerveae inducentiū. Seu (ut describit eum Alex. Aphrod. lib.  
6. Top. c. 3.) est passio animalis per distantiam partium connaturalium  
cum violentiā.

### LXXXV.

Fuit etiam facultas appetitiva: restat locomotiva. Hac est vñ Locomotio  
anima sentientiū, quā animal promovetur de loco ad locum, vel secundum  
se totum, vel secundum partes ad prosequendum bonum, & fugiendum  
C 2 malum.

*m̄lum. Actus ejus sunt motio, progressio, ambulatio, natatio, reptatio, &c.*

LXXXVI.

*Respiratio.* Ad motus animalium referri affolent respiratio, ac potentia pulsifica, tanquam locomotivæ partialis species. Respiratio est motus indifferens (partim animalis, partim naturalis) quo aer ad pulmonem attrahitur, ut cor refrigeretur, & rursus cum halitibus fuliginosis ejicitur. Ex qua definitione distinctio inter inspirationem, & exspirationem per se liquet. Vide Aristot. lib. de Resp. c. 1. & 2. T. I. p. 1499. & 1500. Pulsifica verò potentia est vis animæ sentientis secundum quam in corde universo corpori communicatur motus, ut & cor palpitet, ac arteriæ pro viræ conservatione nobis concessæ pulsant. Illius actio vocatur pulsus, cuius naturam supra disp. 2. in historiâ cordis explicavimus.

LXXXVII.

*ANIMA rationalis.* Tantum de animâ sentiente: animæ rationalis arcana nunc evolvemus, ac rimabimur. Est autem anima rationalis actus hominis, ut homo est.

LXXXVIII.

Profundit hæc duas ex se potentias, puta Intellectum, & Voluntatem. De intellectu prius erit agendum.

LXXXIX.

Intellectus proinde est, quod est intelligibilis cognoscitur, sive apprehenditur, & judicatur. Aristot. lib. 3. de an. cap. 4. T. 5. p. 1416.

X C.

Eius objectum statuitur omne ens sive universale, sive singulare, videlicet objectum adæquationis: at perfectioni objectum sunt solum universalia, quæ intellectus nobiliore modo cognoscit.

XCI.

Species intelligibilis quid? Quod autem intellectus objectum suum apprehendere possit, opus habet specie intelligibili: est q̄ species intelligibilis accidens spiritale, quod à phantasia intellectui transmissum rem materialem repræsentat. Magirus l. 6. phys. c. 19. ib. 14. p. 819.

XCI I.

Intellectus divisio. Dividitur intellectus in agentem, & patientem. Agens dicitur ea potentia, quæ species intelligibiles à phantasmatibus suapre operat.

Pro-

proprioq; munere abstractas intellectui patienti offert cognoscendas, ac  
judicandas. Arist. l. 3. de an. c. 5. p. 1418. Patiens est (is intellectus)  
qui omnia fieri potest, i. e. qui recipit in se species intelligibiles, easq; ab  
agente intellectu illuminatas percipit, atq; dijudicat. Idem ibidem.

### XCII.

Porrò alia circumfertur divisio, quando ratione objectorum eum Divisio 2.  
dividunt interpres in Theoreticum, & practicum. Intellectum theo-  
reticum, seu speculativum appellant illum, qui saltem veræ cognitionis  
ergò intelligit, & ratiocinatur: practicum qui intelligit, & ratioci-  
natur, ut agat, & efficiat id, quod bonum esse intelligit.

### XCIV.

Actio tandem, quæ ex intellectis agentis, & patientis συνδιασμῷ Intellectio.  
resultat, vocatur intellectio, estq; hæc operatio animæ rationalis facta  
ab intellectu mediante specie intelligibili, de quâ paulo ante aliquid  
diximus.

### XCV.

Tres autem sunt tales operationes mentis, nempe 1. τὸ ἀδιαιρέτη Operat, ones  
τῶν νόητις, b. e. apprehensio terminorum simplicium v. g. si concipiā mentis  
hominem, solem, arborem. 2. σύνθεσις καὶ διαιρέσις i. e. composi-  
tio, & divisio v. g. cùm conjungo terminos simplices per copulam, & in-  
quio: homo est animal. Item quando terminos à se invicem separo, &  
dijungo dicens: homo non est lapis. 3. η Διγνωσκὴ λογισμὸς, cum ex  
quocunq; proposito aliud deduco, E. g. sit φεγγατος: quicquid crescit,  
& nutritur vivit. Occurrente plantā ratio statim subsumit: plantæ  
crescent, & nutriuntur (habet namq; hoc homo ab universalī experi-  
mento, & duntaxat in memoriam tunc sibi revocat.) Hinc concludit,  
plantam vivere.

### XCVI.

Intellectum pellustravimus; sequitur voluntas, quæ est vis ani- Voluntas.  
mæ rationalis, quâ res ab intellectu apprehensas, ac dijudica-  
tas liberè eligimus, vel aversamur.

### XCVII.

Objectum voluntatis est bonum, idq; vel ὄντως, vel Φανορύθιας Ejus obje-  
ctusmodi.

## XCVIII.

*Operatio,*

Illi⁹ operatio nominatur volitio (alii addunt appetitionem, fruitionem, intensionem.) Et huic opponitur nolitio.

## XCIX.

*Actiones.*

Præterea variae sunt actiones voluntatis, nimirum aliae dicuntur elicite, aliae imperatae, aliae simpliciter voluntariæ, aliae mixtae. Elicitæ actiones sunt, quæ immediatè producuntur à voluntate, ut ipsum r̄o reflectere, quō voluntas slectit appetitum: imperatae vero, quæ non producuntur à voluntate, sed ab inferioribus potentius disponentibus actum eum ad imperium, & arbitrium voluntatis, imperatæ voluntas locomotivæ, ac musculi δεσμοτικῶς, cordi, & appetitui πολιτικῶς. Actiones simpliciter voluntariæ sunt, quibus res bona sponte, & cum electione absq; ulla vel violentia, vel ignorantia, vel metu expetimus: contræ actiones mixtae nonnullū circumstantiū tristitiae, timori, coactionis circumscribuntur, utut alias à voluntate profiscantur. De his vide Aristotelem l. 3. Eth. Nicom. c. 1. p. 34. & 35.

## C.

Potentia minus principales.

Dantur quoq; potentia minus principales v. g. potentia loquendi, potentia item ridendi, & lachrymandi, quæ certo respectu ad animam rationalem referuntur, quatenus nimirum aut mentis conceptus exponuntur, aut motus tales ab intellectu gubernantur, ac determinantur. Sed hæ non possunt obscuræ esse, si qui saltem, quomodo in Somatologiis illarum organa declaraverimus, adhuc meminerint.

## C I.

Similiter aliae secundarie sunt potentiae artificum, & opificum (puta statuariorum, phrygionum, aurifabrorum, typographorum, bibliopegorum, architectorum, scribarum, sartorum, futorum &c.) sanè quamplurimæ, adeò ut affirmet Alstedius in Lexico philosophico p. 3233. se omnū generis hominum functiones à talibus animæ rationali potentijs projectas numerāsse, & officia homini propria invenisse duodecim millia, & ducenta. Quod quid aliud est, quam imitari potentiam Dei, contendere vero ad ejus infinitatem?

LXXXV

CII.

I nunc, & obirecta homini, homo ingrate, quasi is infra bestias  
abjectus esset, neq; cum ipsis paria ficeret. Omnimodo aequaliter in multis  
brutorum ingenia, in pluribus superat! Nos vela contrahimus, ac non  
tantum hanc dissertationem de animâ, sed & totum in Creatorem hym-  
num, quem vocabat Galenus, hoc est, collegium nostrum anthropologi-  
cum claudimus.

GRATIAS TIBI DOMINE JESU.



Ad doctissimum Dn. Respondentem.

**H**actenus ut claro Physices committere Campo.  
Te Clarius vidit, non sine laude, DEUS,  
Sponte suâ ad veræ gradienti culmina laudis  
Insignes genio contulit artis opes.  
Has tibi, Nageli, grator, voveo q;: Celebrem  
Mox sifstat mundo Musa Magisterio.

M. Johannes Schlenkenberger / Schol.  
Senat. ad D. Nicol. Lips. Collega.

F I N I S.

